



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 23. Societas in Tucumaniam accersitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

*Reges Catholici Episcopales sedes erigunt.*

*Domos sacras construunt.*

*Indi favent.*

eodem ferme anno, quo Paraquariæ metropolis condita est, aliquot Sacerdotes, & anno præteriti sæculi quinquagesimo tertio primum Paraquariæ Episcopum, cum amplissimis & Cæsareis donis ad factorum procurationem submisit. In Chilensi regno, in Tucumaniâ & portu Boni-aëris, Regum Catholicorum autoritate & sumptu, Episcopales sedes erectæ, Canonicorum collegia instituta, & seminaria constructa sunt; præterea in amplissimis his regionibus, eorundem munificentia, Sacerdotes aliti, Religiosorum domus fundatæ, & frequentibus litteris Proreges, provinciarum Prætores, urbium Præfecti, Senatus amplissimi, in mandatis ab Regibus habuere, ut, Indorum vexatione cohibita, præcipuam curam in novæ gentis æternam salutem intenderent. Quâ in re, quid JESU Societas, tantorum Regum auspiciis, per Tucumaniam, Paraquariam & Chilense regnum, facem Evangelicam circumferendo, juverit, pro instituto dicere aggreddior.

**CAPUT XXIII.**  
*Societas in Tucumaniam accersitur.*

**V**ERUM in his rerum primordiis misera planè novarum provinciarum facies erat: nam præter pauculos Sacerdotes, Indiarum linguarum pænè ignaros, Episcopi nullos habebant fermè idoneos adjuutores. Pleraque Hispanorum oppida, sacramentorum usu destituta, in summâ libertate vitii scatebant. Quamvis enim Hispana natio frugalis sit, & naturam temperantiæ artibus coercere noverit: tamen rerum abundantia, & servitorum necnon indigenarum fœminarum multitudo licentiaque, ita corruperat mores, ut sortem suam Hispani miserabiliter lamentarentur, dolerentque, ob Sacerdotum & Concionatorum inopiam, ab multis retrò annis in expiatis, & sine Divini Verbi pabulo impios vivere & mori: Indorum verò innumerorum salutem, ob easdem causas, domi forisque in desperato esse. Quocirca, etsi Episcopi pro insigni virtute cuperent nostræ Religionis præferre fines, & vitia profligare: tamen in tantâ immensitate terrarum, & Barbararum nationum infinito propè numero, profligatis præsertim Hispanorum moribus, sufficere haudquaquam poterant. Donec illustrissimo Domino Tucumanensi Episcopo cœlitus injecta mens est, ut vellet Societatem JESU, quam noverat ubique terrarum rei Christianæ utilem esse, in subsidium vocare. Is fuit frater Franciscus Victoria, vir vitæ integræ, qui cum olim adolescens apud institorem in Peruvia servulum ageret, ab non nemine visus est infulam gestare, non inani præfugio; quippe fluxarum rerum lucris valere iussis, litteris excultus, in sancti Dominici familiâ ita se omnibus probavit, ut Infulam Tucumanensem, procurante Philippo Secundo, & Pio Quinto Pontifice concedente, omnium primus anno præteriti sæculi septuagesimo-secundo iniverit: & ita Episcopatum administravit, ut ab confilio Limensi amplissimam laudem sit promeritus. Tantis igitur vir, ad Patrem Josephum Anchieta, miraculorum famâ inclytum, Brasiliæ provinciæ pro Societate præpositum, & ad Patrem Joannem Atiensam Peruvix Provinciale, litteras dat, per viscera Christi utrumque obtestans, ut pro eo, quo majoris Dei gloriæ desiderio flagrabant, è sua Societate selectos aliquot Sacerdotes ad se juvandum mitterent, nullibi terrarum posse ex Societatis instituto utilius gloriosiusque operam suam collocare.

*Ratio vocanda Societas.*

*Primus Tucumaniæ Episcopus laudatur.*

*Societatem accersit.*

**CAPUT XXIV.**  
*Primus Societatis in Tucumaniam adventus & labores.*

1586.  
*Franciscus Angulus Missionis Præpositus. Alfonsi Barfena laus Saltam excolunt. Socii.*

**P**LACUIT utrique Provinciali optimi Præfulis postulatio, primique è Peruvia, Joannis Atiensæ Provincialis autoritate, Franciscus Angulus & Alfonsus Barfena Sacerdotes, necnon Joannes Villegas laicus, anno millesimo quingentesimo octogesimo-sexto in subsidium submissi sunt. Reliquis præerat Franciscus Angulus, Inquisitionis Fidei per Tucumaniam Commissarius, vir, ut res postulabat, religionis dotibus abundè cumulat: quamquam longè notior erat Alfonsi Barfena virtus, diu multumque in America tanta cum claritudine nominis versati, ut Alegambe & Sachinus cum à Peruanis populis Peruvix Apostolum nominatum fuisse asserant. Hi è Potolæo oppido egressi, superatis agrè montibus, Peruviam à Tucumaniâ discriminantibus, ubi Saltam ante quadriennium conditam urbem tenuere, dici vix potest, quantis Hispanorum lætitiis excepti sint. Hactenus enim Saltenses cives nullum Sacerdotem habuerant, angebanturque, ut solet, ab multis